

differt emere tales redditus ad vitam quam ad perpetuum, nisi quod maior est cupiditas amplius recipiendi ultra sortem^e ad perpetuum quam ad vitam. Nec in rei veritate est empicio — liceat sic soleat appellari ut vicium pallietur, quia extrema huius contractus sunt pecunia simul tradita et per quotas recipienda —, sed est purum mutuum.

97. *Si enim esset empicio et vendicio, ut dici possit quia pro data pecunia emerentur redditus, tunc oporteret intervenire alium contractum, ymmo duos contractus circa rem aliquam^f que per se nata est esse extremum empicionis et vendicionis, videlicet ut res illa — puta fundum, pondus, vel mensura terre^g, vel signata et determinata, vel indeterminata maiori mensura terre contenta — primo pro pecunia iuste ematur et deinde pro aliqua quota pecunie annuatim, vel ad vitam, vel ad perpetuum revendatur^h vel hereditarie concedatur [vel quota huiusmodi a tali ematur cui debetur iure vendicionis, — puta fundum vel mensura terre communitati alicuius civitatis vel domui religiosorum pro certa quota pecunie annuatim in perpetuum reddenda — aut dedit quoad proprietatem] reservando sibi pro usu illos redditus. Si tunc velit illos redditus vendere et omne ius quod habet in eis, licitum est alteri ut emat eos, [nec reputabitur dare pecuniam pro redditibus, sed pro iure ipsius quod ille habuit in recipiendo redditus pro fundo suo vel perpetuo usu eius]. Ita quod ambo isti, in recipiendo illos redditus, reputanturⁱ eadem persona et vendicionem quam fecerat primus, reputatur fecisse et secundus⁴⁵⁶. Unde istis duobus modis licet emere redditus perpetuos sive [G, 133^v] ad vitam sine^j peccato.*

98. *Nec emuntur redditus nisi^k in recompensacione alterius rei, in quam per vendicionem et empicionem res data ab emente eos commutari potuit^l, ut non proprie emantur redditus, vel pecunia pro pecunia, sed ut pro alia re. Unde in consimilibus factis, ex solo modo contractus^m, unam licet fieri, aliam non licet fieri, puta ut si unus vendit fundum suum pro aliqua quota pecunie in perpetuum solvendeⁿ vel concedit proprietatem et retinet^o tantundem pro usu et vendit pro certa summa pecunie omne ius quod habet in recipiendo*

^e sortem om. G

^f aliquam corr. aliam

^g terre om. G

^h revendatur corr. ematur

ⁱ reputantur corr. reputabitur

^j sine] absque G

^k nisi om. D, F, G

^l commutari potuit corr. communicari

^m ex solo modo contractus corr. exsolvendo contraccionem

ⁿ solvendae corr. solvendam

^o retinet om. D, F, G

456. Ici se termine le passage d'Henri de Gand commun à JACOBELLUS (*Contra usuram*, p. 381-382) et à Nicolas. Celui-ci copie encore au-delà jusqu'à *annuatim recipienda* (voir *infra*).

illam quotam in perpetuum^p, bene licet emere. Si vero alius, habens fundum consimilem, vult pro tanta summa obligare ei fundum suum ad solvendum in perpetuo redditus equalem quotam, non licet, quia hic nullius rei vendicio est, sed sola [D, 229^{ra}] obligatio fundi in pignus. Sed si^q iste primus emeret fundum ita quod suum esset, licite posset concedere vel revendere eisdem eundem pro predicta^r quota in perpetuum vel annuatim recipienda⁴⁵⁷.

99. [F, 149^v] Condiciones in predicto^s contractu observande sunt valde^t multe. Prima, quod super hiis bonis emantur redditus ubi sint vel possint^u esse redditus. Verbi gracia, possessor alicuius ville vel alicuius rei habet certos annuarius census, quos potest vendere alteri, vel partem ipsorum. Ex quo sequitur quod illi contractus vel ad vitam vel in perpetuum, qui fundantur super fideiussionem tantum vel super aliquibus rebus et fideiussione simul sunt illiciti, quia in fideiussione tantum nichil emitur, quia nec est ibi census, nec aliquid comutabile in census et vendibile. Eciam patet 2^o, quia ibi non videtur esse empicio sed solum quedam obligatio et mutui quantum ad solutionem certificacio. Secundo, sequitur quod illi contractus qui fiunt super fictis nil existentibus sunt illiciti, sicut quidam emunt et vendunt oves vel alias res quas non habent. Item patet quod cum contractus sit purus et non condicionalis, statim transfertur dominium in ementem. Itaque totum periculum rei empte pertinet ad emptorem et non ad venditorem, utputa si est equus [G, 134^r] emptus et moritur, emptori moritur et non venditori. Et ita si est possessio vel census et perit, perit emptori et non venditori. Unde sicut fructus pertinent ad emptorem, sic eciam periculum pertinet ad emptorem. Ex quo sequitur quod illi contractus, in quo homines volunt esse sine periculo, omnino non sunt vere empiciones. Predicta autem vera sunt, nisi vendens esset causa destruccions rei, quia certe tunc teneretur satisfacere emptori. Item, quod detur iustum precium, quia si non daretur iustum precium, reputaretur fieri in fraudem usure. Et ideo non esset licitum. Eciam ibi non servaretur equalitas iusticie. Ex quo sequitur quod isti contractus sunt illiciti in quibus minus datur de precio quam pro quibus comuniter res consuevit vendi, secundum cursum territorii in quo res huiusmodi vendi solet.

100. In oppositum autem laborantes dicunt quod, cum emitur redditus pecunie, non emitur pecunia^v, sed ius percipiendi ipsam. Dicendum quod

^p illam quotam in perpetuum] illius pecunie perpetue G

^q si om. D, F, G

^r predicta] certa G

^s predicto] isto G

^t valde om. G

^u possint] posuit G

^v pecunia om. G

457. Ici se termine la copie du *Quodlibet* d'Henri de Gand.

hec excusatio excluditur et conteritur per c. *Si quis obiecerit*, I^o, q. III^a, ubi dicitur: *Si quis obiecerit non consecraciones emi, sed res que ex consecracione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis ecclesia, aut episcopus, aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum dereliquit*⁴⁵⁸. Hec ibi. Emens ergo ius percipiendi^w pecuniam, non est aliud quam emere illam pecuniam.

101. Item dicunt: Si omnis species percipiendi plus quam dedit esset usura, generaliter omnes mercatores et locatores domorum et aliarum rerum essent usurarii, quia sepius plus recipiunt quam dederunt. Ad hec dicendum sicut [F, 150^r] dictum est supra post CRISOSTOMUM, *Matth.*, XXI^o et LXXVIII di., *Eiciens*^x ⁴⁵⁹, ubi solvitur pulcre de contractu locacionis domorum et aliarum rerum. Et ibi eciam dictum est de mercatoribus post AUGUSTINUM et THOMAM ⁴⁶⁰ et ibi require.

102. Item non procedit simile quod dicunt de iure hereditario, scilicet quod aliud est ius hereditarium et aliud res hereditaria, quia ius hereditarium dicitur ius quod competit heredi, [G, 134^v] res vero hereditaria dicitur res que debetur heredi propter tale ius, et qui vendit unum, non vendit semper aliud, sicut patet, quia si^y heres vendit ius hereditarium antequam perveniant ad eum res hereditarie, non vendit res hereditarias^z, sed ius quod habet in eis. Et sic potest argui de reddito in tritico vel in aliqua alia re. Ubi non dicitur emi triticum secundum suam substanciam, quia forte tunc non est in rerum natura, sed emitur ius percipiendi triticum. Ita eciam qui emit redditus in pecunia. Licet inde percipiat pecuniam, tamen non emit pecuniam, sed ius percipiendi eam.

103. Non valet similitudo de re hereditaria sive tritico et de pecunia, quia sicut in primo potest vendi res corporalis, utputa res hereditaria sive triticum, ita et vendi potest res spiritualis ordinata ad talem rem corporalem, scilicet ius hereditarium sive tritici, qualiter non est de pecunia. Quare^a ibi non est vera empcio et vendicio, quia licet pecunia possit dari in precium eius quod venditur vel emetur, tamen non est materia que venditur vel emitur, quia non est res venalis. Sicut ergo pecunia est tale quid in quod non

^w percipiendi *om. G*

^x LXXVIII Eiciens] LXXX Siciens *G*

^y si *om. G*

^z res hereditarias] rem hereditariam *G*

^a quare] quia *G*

458. *DG*, pars 2a, causa I, q. III, c. 7 (FRIEDBERG, I, 413).

459. Cf. *supra*, II, p. 187.

460. Cf. *supra*, II, pp. 187-188.

cadit empicio vel vendicio per se ut extremum, sicut supra dictum est secundum GOFF⁴⁶¹, sic nec ius percipiendi pecuniam.

104. Eciam notum est quod *ly*^b ius est terminus respectivus, et dicitur in ordine ad aliud, scilicet in ordine ad rem ad quam refertur et respectu cuius dicitur ius. Emens igitur ius, emit illud propter aliud, scilicet propter rem percipiendam ex tali iure. Ergo magis dicitur emere illam rem [D, 229^b] ut vult regula topicalis: *propter quod unumquodque tale et illud magis*. Frustraretur enim huiusmodi ius et quasi pro nullo supponeret, nisi res poneretur in esse sive in potencia propinqua et possibili. Sicut ergo cum emitur res futura, ipsa, tempore medio quo non existit, dicitur quasi mortua et velut dormire, sic et ius ad illam rem interim dormire dicitur, cum sine rebus corporalibus non proficiat. Ad quid enim valeret quod quis diceretur habere ius alicuius ecclesie corporalis et alter possideret et usum fructum haberet. Ymmo [G, 135^r] esset ridiculosum et ius debile. Videmus enim quod cum res ecclesiastice pereunt per cauma, seu per alluvium, vel per devastacionem, quod de iure modicum curatur et quasi perisse videtur, nisi revivisceret, rebus eius excrementibus. Quisquis ergo horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum dereliquit, ut dicit PASCALIS PAPA [F, 150^v] in c. *Si quis obiecerit*, de quo supra⁴⁶².

105. Et si dicitur: videtur quod non sit licitum emere annonam futuram, utputa triticum sive vinum vel huiusmodi, quod nondum est secundum suam substanciam, sed adhuc stat in flore, sive in blado, sive in segetibus, quia emens habet spem recipiendi ultra sortem, dicendum quod cum contractus sit purus et non condicionalis, statim transfertur dominium in eumentem, ita quod, sicut periculum rei pertinet ad emptorem, ita et fructus pertinent ad eundem. Et sic huiusmodi emens intendit recipere fructus suos quos emit, nec debet dici aliquid recipere ultra sortem, quia quidquid recipit in tali empicione, totum ratione sortis recipit et de natura eius est, si tamen precium pro quo emit fuerit iustum. De quo dic ut supra de empicione secundum se, post THOMAM⁴⁶³. Aliter dicitur, secundum GOFF, quod intendere plus accipere quam dedit in virtute per ius quod emit non est semper malum, sed intendere plus accipere quam aliquis dedit modo quo non debet, scilicet ratione mutui, ibi spes illa esset mala et ibi spes accipiendi plus faceret usuram et malum⁴⁶⁴.

106. Alia condicio et ultima est quod emens non habet posse recipiendi pecuniam suam, quia si potest repetere, non videtur esse simplex empicio,

^b quod *ly*] quodlibet G

461. Cf. *supra*, II, p. 216.

462. Cf. *supra*, II, p. 219.

463. Cf. *supra*, I, p. 185.

464. G. DE TRANO, *Summa* ..., p. 212^r.

verum magis mutacio in qua, si capitur aliquid ultra sortem, usura censendum est, cum usura formaliter sit solum in mutuo. Ex quo sequitur quod contractus illi, qui fiunt quod emens habeat posse postulandi pecuniam suam super certo tempore, non sunt liciti, neque absque peccato. Patet ex dictis [G, 135^v] et eiam ex hoc quia, si habeat posse recipiendi pecuniam capitalem, non est facta simplex et pura empcio vel vendicio. Precium enim rei empte non est translatum in dominium vendentis, sive non est vendentis, neque res empta in potestate ementis. Et hoc est quod communiter auditur, quod dicunt qui huiusmodi contractus habent. Dicunt enim: iste obligatur michi in tot marcis, scilicet XXⁱⁱ, XXX^a, centum, etc. In empcione enim vere et racionabiliter facta, non potest fieri convenienter huiusmodi locucio, cum emens, empcione facta, non habet apud venditorem pecuniam capitalem, tamquam proprium, sed tamen habet ibidem redditus emptos, quos petere poterit tempore quo venditor solvere tenetur. Hec est una de condicionibus malis que rescindenda est a contractu, cum illa que sequitur, scilicet quod empcio debet durare per tres, vel quatuor, vel X annos et tunc, si placuerit ementi, petere et accipere potest pecuniam capitalem. Et sic patet dicendum de isto quod dicunt excusari huiusmodi contractum reempcionis per hoc quod in voluntate accipientis est rescindere contractum istum. De quo eiam supra⁴⁶⁵. Dictum est autem hoc, ubi dicebatur de illo qui emit annuos redditus vel affectus. [F, 151^r] Ex predictis enim liquere potest quod contractus, qui modo fiunt et comuniter facti sunt nomine et specie reempcionis, implicite et virtualiter sunt usurarii, sicut constat ex tenore ipsorum contractuum.

107. Ad extirpandum ergo huiusmodi errores, duo incumbunt necessaria facienda. Primo, quod huiusmodi^c census habentes inducantur ut contractus sue empcionis immutent et penitus cassent et anichilent, reopscendo pecunias suas et de novo contrahant sub debito modo et forma, que potest extrahi de condicionibus sive circumstanciis supra positis, requisitis ad contractus a iure permissos et secundum legem dei. Secundum est quod huiusmodi contrahentes pro presenti anno, si nondum sublevaverunt, [G, 136^r] non recipiant et quoad preteritum, sublato census sive plus receptos restituant. Et, ut fiat^d hoc modo, accedat emptor ad venditorem, dicendo sibi qualiter informatus sit quod empcio non sit licita, sicuti crediderunt. Ideo petat eum ut sibi parcat, si in aliquo contra eum mali egit, vel in sublevando census vel alio quovis modo. Si tunc venditor emptori indulserit, sive remiserit, credendum est quod emptor non teneatur ad illam restitutionem, nisi quod confiteatur quod ita ignoranter [D, 229^{va}] quodammodo usuram comisit. Et hoc facit emptor, postquam iam pecuniam suam capitalem resumpsit,

^c huiusmodi] huius G

^d ut fiat] hoc fiant G

465. Cf. *supra*, I, p. 199 et II, p. 212.

quia, si prius emptor faceret, fortassis venditor vellet pecuniam sublatam computare in sortem, sive deffalcare eam et nichil cogitare quod interim est usus pecunia emptoris, qua emptor caruit et utilitate quam forte ex ea habuisset. De quo tamen dic ut supra de empzione secundum accidens, post THOMAM⁴⁶⁶. Et hoc est intelligendum de illis qui hoc fide fecerunt, credentes huiusmodi contractus licitos fuisse. Sed si scivissent fuisse illicitos, nunquam de eis se intermisissent. Si autem venditor parcere voluerit, dicendum quod et doctores dicunt quod emptor teneatur ad restitutionem, vel totalem si nichil sibi dimittitur, vel parcialem si aliquid. Isto tamen modo, si successive recepit annuatim et censualiter, ita, ne gravetur si simul restitueret, potest et successive et annuatim restituere. Et si oppositum, iniuria videtur sibi irrogare. Insuper generaliter eis consulendum est quod nunquam contractus faciant, nisi prius consilio habito peritorum, precipue legis dei, quomodo et qualiter fieri debeant, ne peccare eos et periculose agere contingat. Et ad hoc, vide ea que dicta sunt supra de restitutione facienda⁴⁶⁷. Et tantum de empzione census ad vitam sive perpetui.

108. Dicit consequenter predictus scribens [G, 136^v] pro opposita parte sic : Item lege veteri de mandato [F, 151^v] domini prohibite sunt empciones et vendiciones perpetue et mandate sunt reempciones et ad tempus, ut habetur *Levitici*, XXV, in hec verba : *Terra quoque non vendetur in perpetuum ... Unde cuncta regio possessionis vestre sub reempcionis^e condicione vendatur^f*⁴⁶⁸.

109. Ecce hic iste in dictis suis, allegando partem scripture comunicavit^g et similis est principibus sacerdotum et scribis a quibus, dum Herodes sciscitabatur ubi *Cristus nasceretur*, dixerunt ei : « in Betlehem Iude. Sic enim scriptum est per prophetam : *Et tu, Betlehem Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel* »⁴⁶⁹. Super quo loco dicit CRISOSTOMUS quod isti *facti sunt non predicatorum operum dei, sed proditores misteriorum eius et non doctores Herodis, sed irritatores malicie ... et ipsam prophetiam prescidentes ex uno sensu suo omnes ... facti sunt causa interficiendorum parvulorum, cum scriptum erat : « Et tu, Betlehem, terra Iuda, non es minima; ex te enim exiet rex qui pascat populum Israel ». Et sequitur : « et dies eius a diebus seculi »*⁴⁷⁰. Si ergo integram prophetiam protulissent ... considerans Herodes ... antiquitatem honoris eius, quia non erat ille rex terrenus cuius dies a diebus seculi erant, in tantum furorem non

^e reempcionis] *Vulgate* : redempcionis

^f vendatur] *Vulgate* : vendetur

^g comunicavit om. G

466. Cf. *supra*, I, p. 185.

467. Cf. *supra*, II, pp. 193-194.

468. *Levit.* 25, 23-24.

469. *Matth.* 2, 4-6.

470. *Mich.* 5, 2.